



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 1. De natura præcepti,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

# LIBER PRIMVS ET TOTIVS OPERIS DECIMVS SEXTVS.

DE RATIONE SPECIALI IUDICANDI DE PEC-  
CATIS respectu habito in communi ad præcepta, quorum transgressionē  
peccata ipsa commituntur.

## PRÆFATIO.

**H**ec ratio consistit in notitia tum naturæ præcepti, tum eorum quæ pos-  
sunt contrauenientem præcepto excusare à peccato: tum etiam quorun-  
dam documentorum, quæ considerare oportet iudicando de peccatis: tum  
demum diuersitatis præceptorum, quæ omnia sigillatim progris capitulo-  
tractanda sint.



## CAPVT I.

De natura præcepti.

### SUMMARIA.

- 1 Definitio præcepti.
- 2 Non solum bona & male, sed etiam indifferentes actiones ca-  
dant sub præceptum.
- 3 Varius modus virtutis.
- 4 Generalem modum supernaturalem virtutis, non cadere sub  
præceptum quomodo intelligi debeat.
- 5 Solutio odiictionum, quibus virgetur, talem modum cadere sub  
præceptum.
- 6 Generalis modus naturalis virtutis, parim cadit sub præ-  
ceptum tam diuinum, quam humanum; partim sub diu-  
num tantummodo, partim nec sub diuinum nec sub hu-  
manum.
- 7 Tres modi, quibus intelligi potest actionem fieri ex electione.  
Primus, non coacte, qui cadit sub præceptum tam diuinum,  
quam humanum.
- 8 Secundus, sine m. tu. Tertius, alacri voluntate, quorum ille  
non cadit sub præceptum, & hic tantummodo sub diu-  
num.
- 9 Ratio discernendi inter præceptum, & consilium.
- 10 Quatenus talis discretio ex verbis legis fieri posset.
- 11 Quomodo fiat ex materia legis: & quod materia consilium ne-  
queat mala esse quodque malam esse, contingat dupli-  
citer.

Nu.1.

**A**D explanationem naturæ præcepti Sylvestris in  
verbo Præceptum initio, definitionem hanc  
et D. Thomæ doctrina tradit: quod sit motio  
Superioris imperatoria ad aliquid agendum  
vel fugiendum ex accessitate. Illius autem pri-  
ma pars indicat, quod præceptum in Superiore, sit actus ra-  
tionis & voluntatis, tendens in subditos per modum impe-  
rii. Secunda vero, ostendit præcepti materiam, esse actum  
virtutis, & actum virtutis: quorum ille agendum est, & hic fu-  
giendum. Tertia denique declarat præceptum imponere ne-  
cessitatem obediendi, taut peccetur si non fiat quod præ-  
cipitur: hoc est, quod in cap. fin. 14. quest. 1. dicitur:  
Quod præcipitur imperatur, & quod imperatur necesse est  
fieri. Est præterea id in quo præceptum distinguitur à con-  
silio; iuxta illud quod in eodem capitulo subiungitur. Vbi con-

silium datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptum ne-  
cessitas est seruientis. Ut autem plenius hæc intellegantur,  
tres quæstiones explicandæ sunt.

## QVÆSTIO I.

An omnes, & sola actiones virtutum & vitiorum cadant  
sub præceptum.

**A**D hanc respondetur, nec sola, nec omnes cadere. Nu.2.  
Non quidem sola, quia indifferentes cadere posse sub  
præceptum patet ex eo, quod præcepta ceremonialia cuius-  
que legis, soleant esse de actionibus externis indifferentibus;  
qua ex se nullam habent. Noralem bonitatem vel maiestam;  
sed solum vt in religione in Dei cultum assumuntur. Quan-  
quam vt in præcedenti libro 14. numero 2. annotatum est,  
ad ipso ex se indifferentis, hoc ipse quod legitime præcipi-  
tur, ponitur in aliquo officio virtutis, bonaque moraliter  
efficitur: & hoc ipso quod legitime prohibetur, fit repu-  
gnans alicui virtuti, & moraliter mala. Nec item omnes  
dictas actiones sub præceptum cadere ex eo patet; quod  
pleræque cadant solum sub consilium: vt illa virtutum a-  
ctiones quæ pertinent ad eximiam perfectionem hominis:  
cuiusmodi censentur & de quibus dicitur Proverb. 3. De  
primitiis omnium frugum tuarum dæ pueribus ] & cap.  
25. Si eluserit inimicus tuus ciba illum, &c. ] &c. Corinth.  
7. De virginibus præceptum Domini non habeo, confi-  
lum autem do ] & alia de quibus Dominus apud D. Matth.  
cap. 5. & 19.

## QVÆSTIO II.

An cum actione, modus virtutis cadat sub præ-  
ceptum.

**V**T ad hanc respondetur supponendum est, modum  
virtutis esse duplitem: unum speciale, seu cuiusque  
specialis virtutis proprium: qualis est iustitia quidem, iuste  
seu seruato iuriis ordine alteri suum. Cetera: temperantia  
vero, temperatia, seu seruata moderatione in viuere & ma-  
trimonij vnu, viuere: & sic de aliis. Alterum autem genera-  
lem, qui adhuc duplex est: unus supernaturalis & diuini-  
tus infusus, qui est charitatis habitus, gratia gratum fa-  
cientis comes indiuiduum: alter naturalis, & humana indu-  
stria acquisitus, qui est virtutis moralis habitus, quo virtuo-  
se (vt sic dicam) agitur, requires in virtuoso tres condi-  
tiones ex Aristot. in 2. Ethic. cap. 4. nempe vt scienter agat:  
deinde vt ex electione propter finem: ac demum vt firmo-

stabi-

stabilique animo: quarum una deficiente perit talis modus virtutis. Atque his ita positis; prima propositio statuitur. Modum proprium cuiusque virtutis cadere sub preceptum tam diuinum, quam humanum. Ratio est, quia virtutis actio, de qua datur preceptum, nequit sine tali modo consistere, cum ab eo suam speciem, propriamque rationem accipiat.

## De generali modo supernaturali.

Nu. 4.

**S**ecunda propositio statuitur. Generalem modum supernaturalem virtutis, non cadere sub preceptum. Ea autem non est ita intelligenda, quasi sensus sit, nullum haberi speciale preceptum de actu charitatis. Id enim falsum esse aperie constat: tum ex aliis sacrae Scriptura locis in quibus amor Dei aut proximi precipitur: tum praeferit ex cap. 22. D. Matth. ibi maximum & primum mandatum in lege, Dominus ait esse. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & secundum simile, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed intelligenda est, vt sensus sit: dum actio virtutis praecipitur, non pricipi eo ipso ut ex charitate is fiat. Quod D. Thomas communiter teste Nauarr. Enchirid. cap. 11. numero 13. receptus in ea re, recte probat 1. question. 100 articulo 10. quia sequeretur alioqui, vt quicumque extra charitatem facit opus de quo datur preceptum affirmatum: aut abstinet ab opere vitij de quo datur preceptum negatum: peccet tanquam transgressor praecepti: cum non habens charitatem non possit operari ex charitate. At id inconveniens est, immo haereticum ex Concilio Tridentin. sess. 6. can. 7. de iustificatione: vbi anathematizatur tale quid dicens. Et certe si id verum esset, cum nemo sciat an habeat charitatem, quicquid egerimus semper anxijs esse mus, an quodcumque preceptum impluerimus. Itaque precepto Honora patrem tuum, inquit D. Thomas, non includitur, quod pater honoretur ex charitate, sed solum quod honoretur. Quod si casus contigit in quo patet ex charitate honorari debeat: ea obligatio, vt idem D. Thomas addit in solut. 2. argumenti, nascitur ex eo, quod in tali casu, speciale preceptum de actu charitatis obligat; non autem ex eo, quod preceptum de honorendo patre, eam imponat. Addit ex Maiore Nauarrus in comment. De indulgentiis notab. 32. numero 46. versu 3. per actum etiam mortisera malum (atque adeo repugnantem charitati) posse preceptum impleri: vt Ecclesiasticum de sacro sancta Eucharistia sumenda in Paschate, impletur eam sumendo tunc indigne: quod est quidem peccatum mortale contra preceptum diuinum de ea digna sumenda; sed non est contra preceptum Ecclesiasticum: quoniam ipsum ea ratione impletur quoad operis substantiam, cum absolute erit tantum de usurpa de tunc temporis, ipsa Eucharistia sumptione.

Nu. 5.

Si obiicias precepta dari de mediis consequendae vita eterna, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata] & per consequens de iis quæ agenda sunt de charitate: cum acta sine charitate nihil proficiat ad eternam vitam consequendam, vt ex cap. 13. prioris ad Corinthios habetur in cap. vltimo de pœnitentia distincte, paterque ex Concilio Tridentin. in cit. sess. cap. 7. sub finem. Respondetur inde propositionem nostram confirmari. Cum enim precepta dentur de mediis quibus perueniuntur ad finem, non de fine (vt videtur est in medicina, in qua non dantur precepta de sanitate) precepta data de actionibus virtutum, non debent conferri data de charitate. Vnde fit, vt quoad substantiam operis possint extra charitatem impleri, iuxta supradicta: quamvis secundum intentionem præcipiens implenda essent ex charitate: ad quam ipsa illa ordinavit, sicut precepta sua medius ordinat ad sanitatem. Itaque ei qui preceptum implet, sed non ex charitate, idem vñsuientur quod ei qui ex mandato Regis muniri aliquod casum, sed alia intentione quam Rex haberet mandando: aut ei qui ab iniuria inferenda abstinuit iuxta legem in Republatam, sed non ob eiusdem Reipubl. pacem, quam intrudebat legislator. Nam nec ille mandati Regis; nec iste legis publicæ transgressor iudicatur: quia illud quod preceptum erat, impletuit secundum totam substantiam operis. Adverte ex Soto in lib. 2. de iustitia & iure, quæst. 3. articulo 10. vt

præceptum impletur quoad substantiam operis, sufficit ex parte principijs, generalem Dei concursum: & ex parte finis, vt opus ipsum sōptē natura ad Deum tanquam omnium finem ultimum referatur: prout omne opus de se bonum referatur, si aliqua mala circumstantia depravetur. Ad quam doctrinam confirmatam induci potest illud D. Pauli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.

## De generali modo naturali.

3

**T**ertia propositio statuitur. Generalem virtutis modum naturalem & acquisitum, partim cadere sub preceptum tam diuinum quam humanum: partim sub diuinum tantum, non sub humanum: partim neque sub diuinum, neque sub humanum. Hanc habet D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 9. Cuius prima pars probatur: quia dictus generalis modus secundum suam primam conditionem, que est scienter agere, cadit sub utrumque preceptum. Nam ad satisfaciendum præcepto sive diuino sive humano, requiritur ut id quod præcipitur scienter agatur: debet enim (non minus quam præcepti transgressio) actio esse libera, quæ requirit antegressam scientiam. Vnde si dorinensis vel ebrius, vel alia ratione imposse invenit, sacram Missæ audiat in die festo, non satisfacit præcepto Ecclesie: quia nescit quid faciat: ita ut ad se rediens, debet ad satisfaciendum, adhuc audire. Non vero ille qui Miserere detinote audiuit, sed sine intentione satisfaciendi præcepto: sive quia non aduerit diem esse festum, sine quia statuit aliam Missam audire. Nam, vt Thomas Sanchez in opere morali argumentatur, lib. 1. cap. 13. num. 9. legislatores tantum dant præceptum de opere faciendo, non autem de intentione faciendi: quo pertinent dicenda lib. 18. num. 150. & lib. 19. num. 23.

Tertia pars propositionis ex eo confirmatur, quod idem modus secundum suam tertiam conditionem, (que est agere fieri animo,) sub neurum præceptum cadat: quia firmitas illa includit rationem habitus requirentis longam exercitationem; cum tamen homines statim ac perueniunt ad usum rationis obligantur ad præcepta implenda. Itaque si quis delictum honorem impendat parentibus, quamvis non habeat pietatis habitum, satisfacit præcepto de honoribus parentibus: ita ut neque ab homine, neque à Deo puniatur tanquam illius transgressor: vt loco citat, habet D. Thomas.

Secunda pars demum, & pariter duæ adhuc alia probantur: quia idem generalis modus quod secundam conditionem, que est fieri ex electione propter finem, partim cadit sub præceptum tam diuinum quam humanum, partim sub neutrum; & partim sib[us] diuinum quidem, non tamen sub humano.

Quod vt pateat notandum est, eandem secundam conditionem duas habere partes: nempe fieri ex electione, & fieri propter finem. Atque priorem tribus modis intelligi: quorum primus est, vt ex electione fieri dicatur, quod sponte fit, & non coacte: quomodo accepta proposita conditio cadit sub omni præceptum tam diuinum quam humanum. Per actum enim coactum non satisfacit præcepto sive diuino sive humano, cum impletio præcepti non sit nuda passio, sed actio libera: qualis non est ea in qua cernitur coactio. Vnde si quis vi tractus ad templum interficit sacro, non satisfacit præcepto de eo audiendo: nec item si quis cogatur ieunare, quia ablatus est ab eo omnis cibus, satisfacit præcepto, quo imponitur ieunium, & sic de similibus: non modo cum quis ad ea coactus, restiterit eliciendo quantum potest actum contrarium; sed etiam cum manferit indifferens, & ad neutram partem propensus reliquerit se arbitrio coactus: nichil relinendo vi illata. Non vero si primo quidem fuerit coactus, sed postea consentiat in opus præcepti: tunc enim cum opus ipsum faciat libere, & non ex coactione, satisfacit præcepto.

Adverte autem ista non procedere, cum ad satisfaciendum præcepto, solummodo requiratur actus exterior: tunc enim quantumcumque opus fiat coacte, satisfactum esse censebitur: vt si creditor vi acciperet à me pecunias sibi debitas, satisfacerem præcepto de restituendo alieno, neque

Nu. 6.

Nu. 7.

N. 4.8. deberem denuo solvere idem debitum. Verumtamen peccarem, si nollem restitutionem esse factam.

Secundus modus est, ut id ex electione fieri dicatur, quod sit sine metu. Secundum quem modum supradicta conditio non est in precepto: ut argumento est, quod plerumque detur praecceptum addita comminatione pena, cuius metu inducantur subditi ad ipsum implendum. Quia ratio datum esse constat primum omnium, Genes. 2. dicente Deo ad Adam, De ligno scientia boni & mali ne comedas, in quo sumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Accedit quod metus non tollat, sicut coactio, liberum; etiam si illud nonnunquam ita miratur ut à peccato excusat: prout declaratum est in praecedenti libro 1. cap. 8.

Tertius modus est, ut ex electione dicatur fieri, quod sit pro opena alacrius voluntate: secundum quem modum, eadem supradicta conditio cadit sub praeciptum diuinum, non autem sub humano. Quia enim homo videt quae parent: Deus autem non intuetur cor, I. P. c. 16. is qui cum voluntatis auersione & quadam mortalia praeceptum implet, ut censetur accidere ei qui non occidit quidem, sed vellet occidere, non satisfacit Deo prohibenti homicidium, ut patet ex cap. 5. D. Matth. versu 22. & 23. sicut satisfaceret homini, qui de interioribus non iudicat. Ex quo codem fundamento colligitur, eandem secundam conditionem ratione sua posterioris partis, qua est fieri propter finem, seu bona intentione, cadere sub praeciptum diuinum, non autem sub humano; quandoquidem intentio est affectus interior latens in animo; de qua proinde homo tanquam de re sibi ignota, ut non iudicat. Itanec praecepit, sicut facit Deus: cuius oculis omnia sunt nuda & aperta ad Hebr. 4. Itaque si index odio vel alia mala intentione malefactorem morti tradat; aut pecuniam mutuo acceptam ea intentione reddat ut detur ad usuram: vel gladium alterius apud se depositum ei restituat ut alium occidat; diuinum praeciptum violat, non autem humanum: unde tanquam praeceptum transgressor punietur à Deo, non item ab homine, ex D. Thom. in cit. art. 9. Quoniam negandum non est, Ecclesiam habere potestatem puniendi ea qua fiunt mala affectu (ut patet ex dictis in praecedenti libro 13. cap. 2. sect. 2.) Atque per hoc patet 2. pars nostra tertiae propositionis: sicut per praecedentia duas reliqua.

### Q V A S T I O III.

Quoniam sit ratio discernendi praeciptum à consilio.

N. 9. MAGNA est inter praeciptum & consilium similitudo, cum utrumque sit quoddam legis prescriptum, quo non facile detegitur diversitas. Quia quidem tota ex eo provenit, quemadmodum attigit à Victoria in relectione de potestate civili, num. 20. quod legislator in suis legibus, non velit semper exigere a suis subditis obedientiam debitam: sed aliquando tantum ordinet simpliciter quid faciendum sit: docens & dirigens potius, quam praecepens. Quod quando fiat, ita ut lex ipsius consultoria tantum, non autem praeciptoria iudicanda sit, unde pendet ratio discernendi praeciptum à consilio, Syl. in verbo Praeciptum, quæst. 2. & 3. recte explicat, dum ista statuat.

N. 10. Primum est, An lex consultoria sit vel praeciptua, non posse semper cognosci ex ipsius verbis: quoniam in lege nonnunquam verbum precarium, ut rogo, inuenitur usurpatum praeciptue, ut in quæst. 3. cap. Rogo: quod glossa ibidem annotat: & nonnunquam verbum praecipientium, ut mando, usurpatum precario, ut in cap. Mandatis, 2. quæst. 4. ubi id glossa quoque annotat.

Secundum est: nisi de legislatoris intentione aliunde constituerit, censeri non posse consultoria tantum esse legem eam, quæ datur per verba praeciptua: qualia ex Alphonso à Castro in 1. lib. de lege penali, Cap. 5. documento 4. sunt: præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdicto, & eis aequivalentia: etiam si materia legis praeciptua non sit, sed tantum consultoria: nisi quod verbum debet, etiam si aequaleat, in materia consultoria importet, inquit Sylvestris, solam congruitatem, id est, debitum hone-

statis, & non iustitiae vel necessitatis. Sic enim quod in cap. 1. De dispensatione impuberum dicitur: quod si pater solum nondum adulsum, matrimonio tradiderit, filius ipse postquam peruererit ad perfectam etatem, debet illud impetrare: glossa finalis ibidem interpretatur, debere debito honestatis, non autem necessitatis.

Tertium est: cum lex datur per verba imperativa, non praecipiua: qualia sunt, dicant, faciant, legant, riteant, & alia innumerabiles, non posse ex eorum significandi vi cognosci, an ea sit praeciptua, obligante ad peccatum: quoniam talia verba possunt in propria sua significatione, tam à consulente quam à præcipiente usurpare. Sic cum dicitur Psalm. 75. Vouete & reddite, &c. illud esse consilij, & hoc præcepti, ex vi significandi vocum, nullatenus cognoscit. Itaq; inquirendum est 1. de legislatoris voluntate imponendi vel non impetrandi obligationem.

N. 11. De qua voluntate si constare non possit, recurrendum est ad materiam: quæ si præceptiva sit, lex quoque præceptiva esse iudicabitur: quia verba legis debent ad materiam ipsius accommodari argumento citati cap. Rogo, iuncta eiusdem glossa. Censetur vero tunc præceptiva legis materia, cum est de necessariis, vel ad iustitiam, vel ad charitatem, vel ad diuinam reuarentiam: ut non fieri clandestina matrimonia; fratrem corripere non consummari pleno stomacho; & multa alia, de quibus bene determinari non potest nisi ex communis doctorum sententia. Hæc Sylvestris. Ex cuius doctrina relinquitur, si legis materia non fuerit necessaria ad iustitiam vel charitatem vel diuinam reuarentiam: neque fuerit, ut in lege que habet in quest. 2. ponderosa, id est, magni momentum ac ponderis, legem esse tantum consultoriam vth. Si quis te percussit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, Matih. 5. cum quibusdam alii, quæ ibidem habentur.

Adverte autem quia de eo quod malum est, consilium dari non potest, sicut nec præceptum: require ut consilium materia sit saltem indiferens, manime vero mala: ut esse potest ex Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 1. ex defectu, vel finis, vel aliquid debite circumstantia, vel obiecti siue non iustificabilis, id est, alii, quod nulla circumstantia possit bonum fieri, ut mentiri: siue non iustificati, id est, talis quod de se malum sit quidem, sed ita ut possit fieri bonum ex aliqua circumstantia: ut occidere hominem, potest ex circumstantiis personarum; & alii de quibus suo loco in sequenti lib. 21.

### C A P U T II.

De iis que contravenientem præcepto excusare possunt à peccato.

#### S U M M A R I A

12. De impostentia ex usante à peccato.
13. Non modi, quibus contingit ignorantia à peccato excusans.
14. Quando contingat respectu præceptorum legi natura.
15. Quando respectu diuine legis positiva.
16. Quæ eiusdem legis tradita notitia tollat illius ignorantiam à peccato excusantem: quæ iterum dubitatio eandem tollat: si ad veritatem intelligendam diligentia non adhibetur.
17. Quæ monitio præcedens sufficiat ad constituendam eius generis dubitacionem.
18. De dispensatione in ordine ad præceptum iuris natura, & in qua ex eius illa possit aut non possit cadere.
19. Res potest definire esse iuris natura, per mutationem ipsius, siue secundum se, siue secundum suam circumstantiam: quod exemplis illustratur.
20. Quando licet præceptum de bono priuato, aut de minore bono datum, omittere ob commune, vel maius bonum.

VOLENTI de peccatis ex aliquo præcepto iudicare, videndum est in primis: An sit aliquid quod contravenientem excusat à peccato: ut esse potest, tum metus grauius & cadens in constantem virum: tum impotenterum

tum